



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

Ordo supplendi caeremonias apud eos qui sine illis sunt baptizati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

**ORDO SUPPLENDI CÆRE-
MONIAS CIRCA EOS QUI SINE
IIS FUERE BAPTIZATI.**

Cum urgente mortis periculo, vel aliâ necessitate, sive infans, sive adultus, sacris precibus, ac cæremoniis prætermiſſis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, periculumvé cessaverit, & ad Ecclesiam delatus fuerit, omiſſa omnia suppleantur, idemque ordo, ac ritus, qui in baptismo infantum [si infans fuerit] seu adultorum (si fuerit adultus) præscriptus est ; Excepto quod interrogatio, an velit baptizari formaque baptismi, & ablutio prætermittantur, & quædam orationes, Exorcismi suo quique loco immutati, ut infra dicuntur.

Parochus igitur antequam immittat salem in os baptizati, manum super caput ejus imponens dicit:

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi &c. totum ut supra pag. 9.

Dein posteaquam immisit modicum salis in os baptizati dicens:

N. Accipe salem sapientiæ, propitiatio sit tibi in vitam æternam. *R.* Amen.

Oremus.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis, te supplices &c. ut supra pag. 10.

Post hæc facto signo crucis in fronte baptizati, dictisque illis verbis:

Et hoc signum Crucis **✝** quod fronti ejus damus, tu maledicte Diabole nunquam audeas violare, per eundem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Manu super caput ejus positâ dicit:

Oremus.

Æternam, ac piissimam pietatem tuam depre-

D

cor

cor Domine Sancte Pater omnipotens æterne
Deus, auctor luminis, & veritatis, super hunc famu-
lum tuum **N.** ut digneris eum illuminare lumine
intelligentiæ tuæ, munda eum & sanctifica; Da ei
scientiam veram, ut dignus sit frui gratiâ Baptismi
tui, quem suscepit, teneat firmam spem, consilium
rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad reti-
nendam gratiam Baptismi tui, per Christum
Dominum nostrum. **R.** Amen.

V. Dominus vobiscum. **R.** Et cum Spiritu tuo.

S. Sequentia S. Evangelii secundum Marcum

R. Gloria tibi Domine.

Hic signetur infans in fronte, ore, & pectore.

Marc. 10.

In illo tempore offerebant Jesu parvulos, ut
tangeret illos: Discipuli autem comminabantur
offerentibus: quos cum videret Jesus, indignè tulit,
& ait illis: finite parvulos venire ad me, & ne pro-
hibueritis eos; talium est enim regnum DEI.
Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum
DEI velut parvulus, non intrabit in illud; &
complexans eos, & imponens super illos manus,
benedicebat eos.

*Deinde Parochus teneat manum super caput pueri, & dicat
orationem Dominicam, moneatque circumstantes, ut & ipsi orent
pro salute pueri.*

Pater noster, **A**ve Maria, **C**redo in Deum
Patrem.

His

His expletis Parochus accipiat pollice de faliva oris fui è manu
finiftra tangendo aurem dexteram pueri dicat :

**In nomine Patris , & Filii , & Spiritûs Sancti,
Ephpheta, quod est, adaperire :**

Et mox tangat nares dicens :

In odorem fuavitatis.

Denique tangat aurem finiftram dicens :

Tu autem effugare maledicte Diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Vade in pace ✠ fides te falvum (falvam) fecit.

Sciat prudens Parochus hunc modum supplendi omiffas cæremonias ex iis, quæ supra habentur ; accommodare etiam foemellis, & pluribus unius, vel utriusque sexûs, mutatis scilicet generibus, & numeris. Monentur etiam hic Parochi, ne mulierculas, quæ forfan non ita urgente necessitate infantem præproperè baptizârunt, severioribus verbis excipiant : inde enim fieri solet, ut tales acerbas reprehensiones veritæ vel omittant baptizare parvulos etiam verè periclitantes ; vel certè de Baptismo à se collato interrogatæ præ timore redargutionis negent, sicque Sacramentum à Parocho iteratum profanetur.

Consultum tamen, & salubriter suadendum, ut Parochus infantes ab obstetricibus baptizatos, ob errores sæpissimè committi solitos, sub conditione semper baptizet sub forma prout supra pag. 19.

AB.

ORDO INTRODUCENDI PUERPERAS POST PARTUM AD ECCLESIAM.

SI quæ puerpera post partum juxta piam, ac laudabilem consuetudinem ad Ecclesiam venire voluerit pro incolumitate sua gratias actura, petieritque à Parocho benedictionem ipse super pelliceo, & stolâ albâ indutus cum Ministro aspergillum deferente ad fores Ecclesiæ accedat, ubi illam foris ad limina genuflectentem, & accensam candelam manu tenentem aquâ benedictâ aspergat, deinde dicat :

D 2

In